

pestate eadē stella existat iam post principium, & nimirum in 17 fere gradu. Rursus Hipparchus inuenit stellam que, cor Leonis appellatur in 50. min. ultimi grad. ♁ : At post ipsum Ptolemæus eandem reperit existere in 30 min. terij gradus ♁ ; Nunc vero eadem stella in 22 fere gradu ♁ existit. Ex his igitur, & plurimis alijs exemplis perspicue colligitur, omnes orbes cœlestes infra primum mobile, præter diurnum motum, moueri quoq; secundum successionem signorum, ab occidente in orientem, secundum quid tamen, hoc est, uti explicuimus, ad partes orientales. Si enim solum motu diurno mouerentur, necessario equaliter distarent stellę omnes, & planetę, a quatuor illis punctis prædictis; Cuius oppositum ostendunt obseruationes doctissimorum Astronomorum.

QUA METHODO CÆLOS INFERIORES AB
Occasu in Ortum super diuersos polos a polis mundi moueri obseruatum fit.

DIUTRNA obseruatione deprehenderunt Astronomi, cœlos inferiores non moueri ab occasu in ortum super polos mundi, & per circulum æquinoctialem, sed super polos distinctos, nempe super polos Zodiaci, & per circulum Zodiacum: Planetę enim omnes variant semper puncta ortus & occasus; Quod luce clarius in Sole deprehenditur; Modo enim oritur iuxta Æquinoctialem, modo ultra, modo deniq; citra, quę diuersitas locum non haberet, si moueretur Sol ab occidente in orientem super polos mundi, & per circulum æquinoctialem; Ita enim in eodem semper puncto Horizontis oriretur; Idemq; in alijs planetis obseruatum fuit. Rursus non semper seruant eandem distantiam a polis mundi, sed nunc quidem accedunt ad polum arcticum, nunc vero ad antarcticum; quod facile colligitur, eo quod non habent semper eandē altitudinem meridianam; maximā siquidē altitudinem meridianam Sol deprehenditur habere in tropico ♁ , minimam vero in tropico ♄ , ut perspicuum esse potest ex umbra alicuius styli, quę minima existit, Sole commorante in ♁ , longissima vero, eodem existente in ♄ . Unde etiam fit, ut non semper eosdem parallelis ad motum diurnū describant Planetę. Certissima igitur ratione concluditur, planetas super diuersos polos tendere ab occasu in ortum; Et quoniam animaduertentur Astro-

nomy,